



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulvm XX. Consulti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. Si tamen à se invicem recedant conjuges, post contractum in facie Ecclesie, & consummatum matrimonium, potest unus alterum repetere.
3. Neque potest in tali casu ad alias nuptias transire conjugatus, ex præensione impedimenti, nisi Ecclesia hoc probaverit.

1. Notandum primum. Mutua renuntiatio debiti conjugalitatis si temerè sine iusta causa, v. g. ex contentione, fiat, etiam jurata, nullius roboris est *c. tua 24. de iur. iur.* & ideò vel iudicis officio, vel ad petitionem alterius conjugis redintegrandum est matrimonium, quippe, quod ob sacram significationem indissolubile vinculum, & individuum vitæ societatem postulat. Ita docui *L. 5. t. ult. p. 2. c. 2. & p. 3. c. 11.*

2. Notandum secundò. Si conjuges, qui in facie Ecclesie contraxerunt, & consummarunt matrimonium, postea se temerè separarint, unus eorum petere potest sui receptionem, ad eò quidem, ut altero recusante, jure suo spoliatus censetur, & ideò statim restituendus, ac recipiendus sit; idque non obstante exceptione de matrimonij dirimente impedimento, quia hæc quæstio de iuris proprietate, postea agitari, & dissolvi debet. Ita etiam habetur in *cap. ex transmissa 8. h. cap. litteras 13. de restit. spol. & docui eodem tit.*

3. Notandum tertio. Qui in facie Ecclesie matrimonium contraxerunt, non possunt ad alias nuptias, prætextu impedimenti dirimentis, transire, nisi priùs Ecclesie fidem fecerint, seu ostenderit impedimentum; præterquam, si notorium sit. Ratio est, quia agitur hic de valore Sacramenti, ideòque de re gravissima, & valde præjudiciali. Quam ob rem requiritur probatio plena *argum. c. 1. de consanguinitate & non sufficit fama, ut hic apparet, & ex c. 3. caus. 35. q. 6. & tradit Mascar. de prob. con. 335. n. 26. Sed nec sufficit confessio impedimenti ab utroque conjugate facta, ut docent DD in c. super ea 1. de eo, qui cognovit.* Ratio est, quia

non, uti in alijs contractibus, ita etiam in matrimonio (quippe cujus nexus indissolubilis est) partes per mutuum consensum, seu renuntiationem, obligationem tollere, seu invicem remittere possunt. Vide, quæ dicitur *cit. p. 3. c. 11. n. 1. Sanchez. 2. de matr. disp. 45.*

Notandum quartò. Si unus conjugum Religionem ingrediatur, alter verò vitam continentiam in sæculo edere velit, petendum est divortium. De hac re *vid. p. quente.*

## CAPITVLVM XX.

## Consulti.

## PARAPHRASIS.

Olim, si quis Religionem intravit, habitumque novitiorum sumpsit animam vitam absolutè mutandi, & DEO in perpetuum in Religione servendi, ad statum reverti non potuit, sed cogitatum erat, ut Religionem aliquam, licet laxiorem, profiteretur. Ita tractatur hoc *cap. & dicitur infra in c. 2. h. tit. 6. Verùm id hodie locum amplius non habet, ut supra diximus.*

## CAPITVLVM XXI.

## Postulasti.

## PARAPHRASIS.

Novitij, tamen si minores ætate sint, liberam habent ad sæculum redeundi libertatem, neque ipsis quidpiam ad beneficium honores, aut dignitates consequenda obesse debet, quòd tonsuram, aut habitum novitiorum in Religione gererint.

## CAPITVLVM XXII.

## Ex parte.

## PARAPHRASIS.

Mandat Pontifex Episcopo Venetensi, ut eos, qui per annum gestarint habitum